



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KETAËNSIS-AKATSIENSIS*** IN GANA NOVA
CONDITUR DIOECESIS KETAËNSIS-AKATSIENSIS Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules
Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa auditisque eorum, quorum interest, votis,
nuper censuerunt accipiendam esse postulationem, qua antea petatum erat ut in Gana, dioecesi Ketaënsi-Hoënsi divisa,
nova constitueretur Ecclesia Ketaënsis-Akatsiensis appellanda. Nos igitur uti Successores beati Petri de universo
Dominico grege solliciti, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. A
Ketaënsi-Hoënsi dioecesi distrahimus territorium meridianum districtuum civilium nuncupatorum Adidome, Akatsi, Anlo,
Ketu et Sogakope; ex eoque novam condimus dioecesim *Ketaensem-Akatsiensem*, quam metropolitanae Ecclesiae
Accraensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea
Episcopi sedem ponimus in urbe « Akatsi » atque ibidem exstans templum titulo Christi Regis ad dignitatem ecclesiae
Cathedralis evehimus dum templum Deo in honorem sancti Michaëlis Archangeli dicatum et in urbe « Keta » situm
ecclesiam Concathedralem iubemus haberi. Concedimus insuper ut, ob locorum huiusque temporis adiuncta, pro
canonicorum capitulo consultores dioecesani ad normam iuris eligantur et adhibeantur; cetera vero secundum canonicas
leges temperentur. Haec omnia ad effectum adducet Venerabilis Frater Andreas Dupuy, Archiepiscopus titulo
Saelesiensis atque in Gana Apostolicus Nuntius, qui, re acta, curabit documenta exaranda ac sinceris exemplis ad
Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittenda. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum
efficacem esse foreque volumus, contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum,
die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri
septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 7, pp. 601-602 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana
